



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LIBRI || OFFICIALIS || SIVE AGENDAE S.|| TREVERENSIS
ECCLESIAE PARS || POSTERIOR, IN QVA IAM PRIDEM
RECEPTI ET || longa consuetudine confirmati
Catholico-||rum ritus, quasi in vnum corpus ...**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Trevorum, 1576

VD16 ZV 206

Benedictio Vini in festo S. Ioannes Euangelistæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75472)

BENEDICTIO VI
NI IN FESTO SANCTI IOAN-
NIS EVANGELISTAE.

Versic. Adiutorium nostrum in no-
mine domini.

Respo. Qui fecit cœlum & terram.

Versic. Dominus vobiscum.

Respo. Et cum spiritu tuo.

Versic. Initium sancti Euangelij se-
cundum Ioannem.

Respo. Gloria tibi domine.

In principio erat verbum, & verbum
erat apud Deū. Et Deus erat verbum,
Hoc erat in principio apud Deū. Om-
nia per ipsum facta sunt, & sine ipso fa-
ctum est nihil, quod factum est. In ip-
so vita erat, & vita erat lux hominum, &
lux in tenebris lucet, & tenebræ eā non
comprehenderunt. Fuit homo missus
a Deo, cui nomen erat Ioannis. Hic ve-

nit in

BENE

T s

nit in testimonium, vt testimoniū perhiberet de lumine, vt omnes crederēt per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum nō cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **Et Verbum Caro Factum Est.** & habitauit in nobis (& vidimus gloriā eius, gloriā quasi vnigeniti à patre) plenum gratia & veritate. **Ref. Laus tibi Christe. Ver. Sequentia S. Euāgelij secūdū Ioānē. R. Glo.**

T 3 In illo

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondū venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcūque dixerit vobis, facite. Erant autem lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino: & tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset: ministri autem sciebant, qui hauerant

serant aquam: vocat sponsum Archi-
trichinus, & dicit ei: Omnis homo pri-
mum bonum vinum ponit, & cum in-
ebriati fuerint, tunc id quod deterius
est: Tu autem seruasti vinum bo-
num vsque adhuc. Hoc fecit Iesus i-
nitium signorum in Cana Gali-
lææ, & manifestauit gloriam
suam, & crediderunt in
eum discipuli eius.

Re. Laus tibi
Christe.



PSALMVS 22.

Dominus regit me, & nihil mihi
deerit: in loco pascuæ ibi me collo-
cauit.

Super aquã refectionis educauit me:
animam meam conuertit.

T 4 **D**edu-

Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.

Nā & si ābulauero in medio ūbræ mortis, nō timebo mala: quoniā tu mecū es.

Virga tua & baculus tuus: ipsa me cōsolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quā præclarus est?

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria patri & filio: & spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc &c.

Kyrie eleyson. **C**hriste eleyson. **K**yrie eleyson. **P**ater nost. **A**ue **M**aria.

Versi. **S**aluos fac seruos tuos & ācillas tuas. **Ref.** **D**eus meus sperantes in te.

Versi.

S. Ioannis Euang.

225

Versic. Et si mortiferū quid biberint.

Respo. Non eis nocebit.

Versic. Gustate & videte, quoniā suavis est dominus.

Respo. Beatus homo qui sperat in eo.

Versu. Domine exaudi orationē meā.

Respo. Et clamor meus ad te veniat.

Versic. Dominus vobiscum.

Respo. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Oremus. Deus & pater domini nostri Iesu Christi, cuius verbo cœli firmati sunt, cui omnis creatura deseruit: & omnis potestas subiecta est, & metuit, & expauescit: nos te ad auxiliū nostrū inuocam⁹; cui⁹ audito nomine serpens cōquiescit; draco fugit, vipera filet: & subdola illa, quæ dicitur rana inquieta torpescit; scorpius extinguitur: regulus vincitur; araneus nihil noxiū operatur:

& omnia

& omnia venenata, & adhuc ferociora animalia noxia terrentur: tu extingue omnes diaboli fraudes, & omnes humano generi aduersantes nequitias, & hunc potum per intercessionem beatissimæ virginis Mariæ, & beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ, & omnium sanctorum tuorum meritis & intercessionibus: tua virtute bene ✠ dici vt omnes ex eo gustantes, ab omni malo custodias: & ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat, in vnitate spiritus sancti deus. Per omnia sæcula sæculorum. **Responsio.** Amen.

ORATIO.

Oremus. Deus cuius potestate beatus Ioannes Euangelista potum venenosum & toxicum digessit bene ✠ dicere & confe-

S. Ioannis Euang.

227

confe ✠ crare digneris hanc creaturā
vini: vt omnium ex eo gustantium ex-
pulso omni gustu nociuo: infuso tuæ
bene ✠ dictionis mysterio: sit in ter-
ris corporis & animæ remissio criminū
& in cœlis perpetua cōsolatio. Per do-
minum nostrum Iesum Christum fili-
um tuum, qui tecum viuit & regnat in
vnitate spiritus sancti deus. Per omni-
a sæcula sæculorum. **Respo.** Amen.

Versic. Dominus vobiscum.

Respo. Et cum spiritu tuo.

Versic. Benedicamus domino.

Respo. Deo gratias.

Et benedictio dei omnipotentis pa ✠
tris & fi ✠ lij & spiritus ✠ sancti def-
cendat & maneat super hanc creatu-
ram vini. **Responsio.** Amen.



PSAL.